

tium: *Frequenter diximus. Semper enim Christiani persecutionem patiuntur &c.* Quantis Codex hic *Hieronimum* onerat! Adi potius *Augustini T. VI. Adpend. col. 368.* Ibi inter *Sermones spurios ad FF. in Eremo* deprehendes.

IX. fol. 86. *Hugo de sancto Viatore. De virtute orationis. T. II. Opp. illius p. 238. edit. Rotomag.* extat pius hic *Tractatus inscriptus de Modo Orandi*, et incipiens: *Domino et patri T. H. munusculum hoc dilectionis meae ea vos precor benignitate suscipite &c.*

X. fol. 91. *Incipit Sermo Sancti Athanasii In Observatione Monachorum.* In edit. *Mauriana Opp. T. II. Paris. 1698. p. 709. f.* abjudicatur merito ab *Athanasio* haec *Exhortatio*, quae nunquam graece visa fuerit, et autorem latinum aperte prodat. Ejus initium: *Etsi quidem (ut?) in Christo gloriari licet, hujusmodi principiis fitis initiati &c.* Deest in edit. *fitis*; ceterum emendatiora sunt Codice.

XI. fol. 94. *Hec sunt XV. signa XII. dierum ante diem iudicii quae inuenit beatus ieronimus in annalibus libris iudeorum.* Nugae, et maxime absurda postrema: *Eadem nocte qua pater et mater eius (Antichristi) conuixerint, uenit spiritus diaboli in uterum matris eius, non tamen ita uirginaliter sicut in Mariam spiritus sanctus uenit, et ita nascetur antichristus.*

Subtexta est Codici Membrana Fragmentum Statutorum *Cisterciensium* ab elegante manu, in quo de *Anniversario domini pape bono-*

*rij, Richardi anglie, Philippi et Ludewici francie regis, item de negotio albiensium &c.* Memoratur etiam Annus *MCCXXXV.* Nec dubium, *Statuta ista olim e Gallis ad Montem Pomarium delata fuisse.*

CCCX.

Codex membraneus lat. Sec. R.85 VII. aut VIII. Folior. partim 4. partim f. 159. caractere curren- te saxonico, non unius manus, nec unius temporis, lectu tamen sat difficili exaratus, rubricis distinctus, multis locis aevo adtritrus, quondam, ut p. 1. adnotatur, *Coenobii sancti Columbani de Bobio*, quem locum *Agilulfus Langobardorum* rex non procul *Ticino* ad *Apenninum* sancto Viro a. 612. dederat, dein *Conventus S. Job. de Carbonaria O. Erem. S. Aug. Neapoli*, ubi illum, teste *Museo Ital. P. I. p. 110. Job. Mabillonius 1685.* obiter inspexerat, demum a. 1717. Imp. *Carolo VI.* oblatus *Miscella* complectitur, quae ordine suo edifferenda sunt. I. *Incipit series uirorum illustrium sancti hieronymi presb.* In Prologo ad *Dextrum* non cum *Vallarsio* provocas, sed cum *Fabricio* in *Bibl. Eccl.* Noster legit *vis provocare*, quod et Graecus habet *προκαλεισθαι βουλει.* Nomina *Scriptorum* rite decurrunt, utrobique tamen *Justinus* et *Julianus* Nostro *Iustus* et *Julius* sunt. Inter *Hieronimi* *Scripta* omittitur *L. in Aggaeum*, et subditur: *Finit amen deo gratias. Hucusque beatus hierony-*

ronymus que sequuntur sunt Gennadii presbyteri ecclesie massilie episcopi ut aiunt qui eum viderunt. Nescio, quis Gennadium Episcopum adpellet praeter Sigebertum Gemblac. et J. B. Platinam, quorum sane neuter illum vidit.

II. fol. 11. inquit itaque Gennadius de Viris illustr. numeratione continuata. Praeter aliquam in expressione Nominum varietatem, plerumque jam a Vallarsio aut Fabricio notatam in elogio Augustini n. 173. deest illa *περὸν*: Unde et multa loquenti &c. et finis est: *questionem jam dedit*, ut adeo nec cum Editis, nec cum Codice Corbej. adducto a Mabillonio T. II. Vet. Analect. p. 45. plene consentiat. Desunt praeterea Caesarius Arelat. Sidonius Arvern. et Honoratus Massil. Gelasius penult. loco ante ipsum Gennadium occurrit, et in hoc Codex nec: *nisi ad beatum Gelasium*, nec *mittam* legit, sed *missa*. Ceterum cum Veronensi ab Vallarsio adhibito multum congruit.

III. fol. 21. Incipit epistola quoduultdeus dyaconi karthaginensis ad sanctum augustinum de heresibus inquirendis. Initium: *Domino merito uenerabili &c. Diu trepidus fui et ausus hos meos &c.* Sunt Epistolae illae alternae IV. quae in Edit. Maur. non tantum T. II. n. CCXXI—XXIV. sed etiam T. VIII. ante ipsum de Haeresibus Librum habentur. Librum hunc in Codice Elenchus Haeresum praecedit, qui Augustini ordinem exacte sequitur. Initium Libri est: *Quod petis saepissime atque*

*instantissime sancte fili quoduultdeus &c.* Lectio proba est, sed fol. 20. p. 2. adscripsit alia coeva manus: *Hoc adjungendum est in fine sequentis libelli de heresibus.* Est vero Haeresis Nestoriana et Eutybiana Augustino quidem posterior, addita tamen et in aliis Exemplis, et a Maurianis T. VIII. col. 28. in not. relata, a quorum textu abluere nostrum vel initia docebunt: *Nestoriana heresis nuncupatur a suo auctore &c.* Et: *Eutybiana heresis ab eutbice presbitero archimandrita &c.*

IV. fol. 32. p. 2. Incipit ordo librorum ueteris testamenti quos sancta et catholica romana suscipit et ueneratur ecclesia. Ita et novi Testamenti. Ut videlicet in celebri Decreto Gelasii I. quod quidam ad Hormisdam, alii ad Damasum retulere, quodque mihi objacet ex edit. Justi Fontanini ad calcem Antiquitt. Hortae. Append. p. 317. Sed Librarius noster Deuteronomium post Exodum posuit, Libros Esdrae transfiliit, Psalmis CL. Libros V. totidem Salomoni dedit adjectis nempe Sapientia et Ecclesiastico, atque his expeditis: *Incipit decretale sancti gelasii episcopi urbis rome.* Initium: *Post has omnes propheticas et euangelicas atque apostolicas quas superius depromsimus scripturas quibus ecclesia catholica per gratiam dei fundata est &c.* Accedit longe magis ad Exemplar Chiffletianum, quam ad Vaticanum a Fontanino l. cit. productum; Libros tamen apocryphos longe pauciores sistit, quam utrumque. Ad calcem: *Explicit noti-*

notitia apochriphorum uel heresum a gelasio romane ecclesie episcopo constituta.

V. fol. 34. p. 2. Incipit epistola sancti augustini episcopi ad simplicianum episcopum. Ita: Plenas bonorum gaudiorum litteras &c. Extat Edit. Maur. T. II. n. XXXVII. col. 81. et rursus T. VI. col. 79. ante II. Libros de diversis Quaestionibus ad eund. Simplicianum. Adhaeret Epistolae, nescio cur, Libri II. Quaestio 3. col. 115. de Saule, Samuele et Pythouissa.

VI. fol. 35. p. 2. Incipit epistola beati hieronymi ad euangelum presbyterum, quomodo presbyter et diaconus diferant. Initium: Legimus in isaia &c. Extat Edit. Vallars. T. I. col. 1074. Nihil in nostro Exemplo post Tanim de Guarmania five Wormatia, unde conualefcit Victorii opinio, hanc tempore primum Burchardi irrepfisse.

VII. fol. 36. Incipiunt capitula sanctorum patrum. Initium: Et ne forte aliquis dicat, quod insinuatio gratie rudis fit ac nouella et a nullo alio tam deliberate et tam frequenter quomodo a sancto augustino episcopo commendata est, quid et inde Innocentius papa urbis rome in sede apostolica constitutus predicauerit, quid etiam sanctus ambrosius mediolanensis episcopus senserit, quid sanctus hieronymus presbyter insinuauerit, aliqua ex ipsorum libris capitula adhibenda credidimus, ut qui rome hucusque plus quam oportuit incaute et simpliciter credidit, ad tantorum pa-

trum regulam animum suum inclinare et adcommodare non dubitet. Sequuntur igitur XVII. horum Patrum Loca pro sententia catholica de Gratia et libero Arbitrio. Excerpta haec putem e cuiusdam Romanae Synodi Actis, aut Pontificis Literis post Caesarii Arelat. et Fulgentii Rusp. tempora, neque memini, me edita legisse.

VIII. fol. 38. Incipit liber beati augustini in regulis LVIII. ad aedificationem catholice fidei. Sed opportune coeua manus superscripsit: sunt gennadii presbyteri massiliensis. Huic enim rite tribuntur in Edit. Maur. T. VIII. Append. col. 75. Initium: Credimus unum esse deum patrem &c. Finis in editis: similitudinem in moribus inueniri; in Codice: masculum et feminam creauit eos; nam 9. lineis ultra procurrit.

IX. fol. 42. p. 2. Incipit sancti hieronymi ad domnionem. Epistola uidelicet T. I. Edit. Vallars. col. 234. quae orditur: Literae tuae et amorem pariter sonant &c. Verum in Cod. abruptitur in his verbis: in utramque partem, hoc est — —. Noto tamen, in hoc Fragmento pro *αυτοδιδακτος* legi *θεοδιδακτος*, quod in suis non inuenit Vallarsus. Ceterum lectionem hactenus relatorum per se difficilem difficiliorem reddit conditio Codicis rescripti; continebant enim hae Membranae splendidissimum olim, et Seculi, ut videtur, V. Exemplum Pharsaliae Lucani littera quadrata luculenta exaratum, quod ita abrafit infelix ignorantia, ut

ut e vestigiis crocei paene coloris lineas intercurrentibus fol. 17.

p. 2. eruere potuerim v. 175. L. V. Hemistichium:

### FLAMMASQ. IN VISCERA MERGIS.

X. fol. 43. jam per duas columnas sequitur ἀκεφαλος M. Servii Honorati Tractatus grammaticus. Initium nobis: *De adverbio. In omnibus adverbis breuiantur et* &c. Ut T. II. Vett. Grammat. Eliae Putschii, Hanov. 1605. col. 1815. 4. Finis cum ejus in Primam Donati Editionem Commentario col. 1838.

XI. fol. 44. p. 2. Incipit commentum maximini victorini de ratione metrorum. Initium: *Liquentes littere sunt IV. l. m. n. r. &c.* Extat apud Putschium cit. col. 1963.

XII. fol. 46. p. 2. Incipit de finalibus metris. Initium: *Quamquam de litteris et syllabis multiplex sit copiosusque tractatus &c.* Est M. Serv. Honorati Liber de ratione ultimarum Syllabarum, ut habes apud Putschium col. 1799. Deest tamen nobis breve principium.

XIII. fol. 48. De ponderibus. Adde: *et mensuris.* Est enim Carmen Q. Rhemni Fannii Palaemonis, a quibusdam etiam Prisciano Gram. tributum, quod incipit:

### Pondera Peoniis veterum memorata libellis &c.

et collatum cum Edit. Pet. Burmanni T. II. Poet. lat. min. p. 396. fatis a manu secunda emendatum adparet. Non habuit tamen Burmannus, ejusve Commenta-

tores lectionem v. 11. *lentis vel grana bis octo*, quae mihi illa: *lentes veraciter octo*, potior videtur. Versus ultimus:

### Argentum argento liquidis cum mergitur undis.

Igitur defunt Versus facile 8. Sed vide sequentem N. XXI. Adhaerent Excerpta quaedam grammatica de *Accentibus* et *Versibus*.

XIV. fol. 50. Incipit Prefatio Prisciani de laude anastasio imperatoris. Mabillonius, qui a. 1685. Codicem nostrum Neapoli vidit, Itin. Ital. P. I. p. 111. in quo, ait, *Priscianus de Laude Anastasio Imperatoris, quod notatu dignum.*

Et reapse, qui de Grammatico nostro tradunt, nullius Panegyrici meminere. Non est porro instituti mei, qui *Indicem Codd. mss.* urgeo, integrum hoc Poema, quod praeter jambicam Praefationem versibus heroicis 312. constat, hic inferere, quod is labor cum propter intricatam scribendi rationem, tum propter fugientes jam non uno loco literarum ductus

635

I C O D I C E S A

636

plures sibi menses deposceret,  
dabo tamen, quod satis sit ad co-  
gnoscendam ejus indolem, et ju-  
vandam collationem, si fortassis  
aliud alicubi detegeretur Exem-

plum, quod optandum foret, cum  
in nostro non ubique sensus sibi  
constet, ut docebit *Praefatio*,  
quam integram hic exhibeo:

*Summi Poetae qui (quum?) solent in versibus,*

*Quos Imperatorum modulantur laudibus,*

*Proferre caelum, cum (quum?) petunt et sidera*

*Aduersa naturae sequentes impie,*

*Tibi sciens, quae displicent, nimis pio*

*Nihil nefandum, nil nisi uerum loquar.*

*Nam, qui tribuit mortalibus caelestia,*

*Sapientium damnatur arbitrio pari,*

*Et, si qua uere praedicat, non creditur,*

*Cum falsa coeperit canens exordia.*

*Quare, precor, libenter audias tua,*

*Quae cuncta non ego potero producere,*

*Non, mille dantur si mihi linguae simul,*

*Fons ingenii si carmen effundens nouum;*

*Sed parte, ferre qua ualeo pro uiribus,*

*Decerpta, lucem conferant quae cantibus.*

*Quod more miro fit; solent nam carmina*

*Addere decus rebus magis, quam sumere.*

*Deo fauente iam subibo pondera*

*Laudis, serenus quae releuat uultus mihi,*

*Praesens ubique cernitur qui sensibus*

*Arcana nudans principis mitissimi.*

Jamque Panegyricus incipit:

*Accipe romanum clementi pectore carmen,*

*Accipe, quod soleo caelesti reddere regi*

*Munere pro vitae, pro pulchro lumine solis.*

*Namque deum sentis placari carmine tantum,*

*Quem sequeris princeps animo iustissime recto,*

*Qui tibi regna dedit, cui debes omnia soli,*

*Prospera quae bellis pariter, uel pace tulisti.*

*Audax nam venio praeconia dicere uestra,*

*Quae finit caelum, quibus omnis cingitur orbis.*

*Nec mirum, tales ex tanta stirpe creatos*

*Pompeii, proprio quos culmine roma locauit &c.*

Et

Et demum finit:

*Numen, quod caelum, terram, pontumque reuifit,  
Aufoniis feruet regnis haec munera semper,  
Barbaricaeque ferae capiant iuga uestra subactae,  
Votaque firmentur populi, fanctique senatus.*

En igitur Carmen, quod *Burmanni Poetis latinis minoribus*, aut *Vett. Panegyricis* succenturiari mereretur. Subiecit Librarius: *Expliciunt laudes sacratissimi imperatoris anastafii isaurici et parthici et gothici uictoris dictae a prisciano grammatico*. Et derivatus a *Pompejo Anastafii Dicori* sanguis, et magnifici tituli gentium devictarum ab adulatione proficiscuntur, si quidem expendas, quae *Cedrenus*, *Zonaras*, alii contra *Isauros*, *Persas*, et pro *Gothis* fortasse *Bulgaros* a Ducibus potissimum *Anastafii* gesta tradidere.

XV. fol. 52. p. 2. *Item tertuliani de jona propheta*. Retuli Carmen istud ex alio *Codice*, cujus lectiones plane confirmat praesens, auxiliaremque praebet operam ad Confananda, quae e *Rigaltiano* perperam edita sunt cum notis *Jureti* tam *Parisiis*, quam *Venetiis Opp. Tertulliani* 1744. p. 576. f. Errat tamen v. 16. et debitam cedere poenam pro debita cedere poenae, vel dicta cedere poena, et v. ult. legit: *fit mortis testis pro sed mortis* &c. Addidit scriptor: *Expliciunt de jona dicti tertuliani eloquentissimi uersus*.

XVI. fol. 54. *Incipit epistola hieronimi ad riparium presbyterum*. Initium: *Acceptis primum literis*

*tuis non respondere* &c. Extat *Edit. Vallarf. T. I. col. 719.*

XVII. fol. 55. *Incipit de arte grammatica sergii*. Ita: *Ars grammatica institutio sermonis periti haec his rebus continetur: litteris syllabis accentibus pedibus VIII. partibus orationis anomalibus uitiis figuris clusulis metris ethymologia orthographia et (ex) positione historicorum et poetarum. De quibus titulis hac moderatione tractabo ut superflua dispiciens necessaria breuiter exponens nec fraudem studiosis faciam nec fastidium delicatis* &c. *Edidit Putschius supracit. col. 1825. geminum Sergii in Donatum Commentarium. Neuter Opusculum nostrum est, quod tamen in Codice non ultra Titulum de Syllabis procedit, in haec verba terminatum: arbor flos nox allec caput.*

XVIII. fol. 56. *Incipit liber palemonis de arte*. Non ille, quem post alios *Putschius col. 1365.* edidit, sed *Εισαγωγὴν* quaedam catechetica in Artes hujus initii: *Ars quid est? Uniuscuiusque rei scientia. Artium genera quot sunt? III. Quae sunt? Quaedam animi tantum, quaedam corporis, quaedam animi et corporis* &c. Si quidem titulis fides, inquiri mereretur in ignotum hoc *Q. Fan. Rhemnii Palaemonis Scriptum*, quod hic mox abrum-

abruptur in verbis: *utpote funambuli*; et continuo

XIX. *Incipit de VII. miraculis mundi.* Non historicis illis notis, sed physicis in contemplatione τὰ Μεγαλοσυσμα occurringibus, putaverbis nostri: Maris Oceani Commutatione, Granis frugum et fructibus arborum, Phoenice ave, Monte Aetna, Fontibus Gratianopolitanis; de quibus simul et *laretex manat et ignis*, Sole mundo famulante, et praestituto Lunae, Siderumque motu.

XX. *fol. 57. Incipit liber primus coniunctionum suae declinationum grammaticalium.* Eutyctis Opusculum est productum a Putschio col. 2143. Prooemium ad Crate-

rum, in quo legitur *diligentissime Discipulorum pro dilectissime*, orditur: *Cum semper novas quaestiones doctoribus &c.* Clausula: *Explicit feliciter ars eutyctii grammatici.* Adhaerent Excerpta de Prologia.

XXI. *fol. 70. p. 2. Continuat Q. Fan. Rbenn. Palaemonis Carmen de Ponderibus &c.* coeptum N. XIII. et non continuatur modo, sed ultra, quam *Eliae Vincto*, aliisque Editoribus videre contigit, producit. Cum igitur maxima ejus pars jam typis extet, habeant hic Eruditi a me reliquum. Abrumpit *Burmmanus supracit. p. 407. Nec non et sine a-*quis —. Pergo ego:

*Eadem deprehendere furtum*

*Ars docuit, quod tu mecum experiare, licebit.*

*Ex auro fingis (fingas?) librili pondere formam,*

*Parque ex argento moles fiet. Ergo duobus (duabus?)*

*Dispar erit pondus paribus, quia densior auro est.*

*Primo hanc ad lancem rediges, pondusque requires*

*(Argenti nam jam notum est, quia diximus) auro.*

*Facque id (hoc, vel Fac et id?) argento gravius sextante repertum.*

*Tunc auro, cujus vitium furtumque requires,*

*Finge parem argenti formam, pondusque notato,*

*Alteram quo praestat, leviorque est altera moles.*

*Sit semissis onus. Potes ex hoc dicere, quantum*

*Argenti fulvo mixtum celetur in auro.*

*Nam quia semissem triplum sextantis habemus,*

*Tres inerunt auri librae, quodque amplius hoc est,*

*Quantumcumque fiet, fraus id permiscuit auro.*

*Causa, (id?) cur ita sit, prompta est, si discere uerum*

*Non pigeat, Veterumque animos intendere chartis.*

*Nam si disparibus numeris accesserit idem,*

*Servat inaequales itidem, tantumque manebit*

*Discrimen, quantum fuerit prius, idque notabis,*

*Sive in temporibus quaeras, seu pondera rerum,*

*Seu moles spectare velis, spatiumque locorum.*

*Quare*

*Quare diversis argenti aurique metallis,  
 Queis forma ac moles eadem est, par addito pondus;  
 Argento solum id crescit, nihil additur auro.  
 Sextantes igitur, quos (quot?) tu superesse videbis,  
 In totidem dices aurum consistere libris,  
 Parsque itidem librae sextantis parte notetur.  
 Quod si forte parem corrupto fingere formam  
 Argento nequeas; at mollem sumito ceram,  
 Atque brevis facilisque tibi formetur imago  
 Sive cybi (cubi) seu semiglobi, teretisve cylindri,  
 Parque ex argento simuletur forma nitenti,  
 Quarum pondus item noscas. Fac denique dragmas  
 Bis sex argenti, cerae tres esse repertas,  
 Ergo in ponderibus cerae argentique liquebit,  
 Si par forma fiet, quadrupli discrimen inesse.  
 Tum par effigies cera simuletur eadem  
 Corruptae, cujus fraudem cognoscere curas.  
 Sic justum pondus, quod lance inveneris aequa,  
 In quadruplum duces, quadrupli non ponderis esse,  
 Si foret argenti moles, quae cerea nunc sit.  
 Cetera jam puto nota tibi; nam diximus ante,  
 Quo pacto furtum sine aquis deprendere possis.  
 Haec eadem in reliquis poteris spectare metallis.*

XXII. fol. 71. Incipit sermo  
 sancti fausti ad monachos de obedi-  
 entia et humilitate. Tò sancti ea-  
 dem quidem maru, sed supra li-  
 neam adjectum est; Vir enim hic  
 Sec. V. Episcopus *Rejensis* sive  
*Regiensis* in Gallia laudatur ab his,  
 culpatur ab illis. Ad *Franciam*  
*lit. T. II. p. 585.* Initium porro  
 sermonis: *Instruit nos atque bor-*  
*tatur sermo diuinus &c.* Extat *Fau-*  
*sti* nomine in *Bibl. PP. Lugd. T.*  
*VIII. p. 544.* et *Eusebii Gallica-*  
*ni T. VI. p. 657.* utrobique pro-  
 ductior; nobis enim in his termi-  
 natur verbis: *uolentia ipsa consue-*  
*tudinis et impetus passionis.* Mul-  
 tum praeterea variat lectio, quod  
 et de sequenti intelligendum est.

*Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

XXIII. fol. 73. p. 2. Incipit  
 sermo *Austigutinis* ad monachos.  
 Nescio, quid caussae impulerit  
 Scriptorem ad turbandas nominis  
 literas, nisi suspiceris, *Faustum* in  
*Augustinum* transformare voluisse.  
 Quamvis enim *Sermo* hic *T. VI.*  
*Bibl. PP. Lugd. p. 659.* inter  
*Homilias Eusebii* dicti *Gallicani*  
 continuo post praecedentem lega-  
 tur, ita tamen inter *Eusebium*  
 istum et *Faustum* nutant Critici,  
 ut credibile sit, et hunc *Sermo-*  
*nem* a *Fausto* tunc Abbate *Leri-*  
*neni* ad Monachos suos habitum  
 fuisse. Incipit is: *Sicut a nobis do-*  
*minus pro suscepti officii necessitate*  
*&c.* et finit: *integrum in nobis iu-*  
*dicaturus inueniat D. N. J. C. &c.*

Ss

XXIV.

XXIV. fol. 75. p. 2. Loca duo ex *Augustini* Epistolis. 1) ex Ep. ad *Hesychium Salonit.* Edit. *Maur.* T. II. n. CXCIX. col. 747. n. 18 — 20. 2) ex Ep. ad *Hipponenses* *ibid.* n. LXXVIII. col. 183. n. 3.

XXX. fol. 76. et deinceps in f. caractere ad *Chartae Ravenatis* ductus fatis accedente sequitur *M. Valerii Probi Grammatica* absque titulo incipiens: *Praefatio.*

*Accipe nostra tuis audacibus edita iussis  
Caelestine potens &c.*

ut apud saepe cit. *Putschium* col. 1385. Pars, quae ibi inscribitur *Liber II.* nobis titulum praefert: *De Catholicis Probi*, et finit: *De participio temporis praeteriti*, tumque per errorem subjicitur litera grandi: *Finit De Catholicis Provi. Ars Serui Gram. Explicit Feliciter.* Verba tamen *Serui Gram.* punctulis notata errorem animadvertum fuisse produnt. Et continuo f. 111. p. 2. succedit *Caput*, quod apud *Putschium* insignitur *De Structura*, usque ad verba: *auditorem possumus delectare*, quibus caractere unciali subditur: *Feliciter Ars Probi Grammatici Urbis Explicit Catholica.* Neque tamen desunt, quae *Putschius* deinceps adtexuit de *Pedum* compositione, sed fideliter usque ad extremum: *Ex trisyllabo et hisdem*, adscribuntur. Quae adeo a posteriore quodam Praeceptore addita fuisse *Probo* censeam. Ceterum vetustissimum fortasse *Probi* Exemplar me hic Lectoribus proposuisse puto.

XXVI. fol. 112. Opus grammaticum II. *Libris* constans, sed, quod non parum dolendum, ἀνεφάλοιν, Sec. ut videtur, VI. quemadmodum praecedens, exaratum,

cujus Autor cum e I. tum e II. *Libri* clausula constat. Ad I. enim ita habes: *M. Claudii Sacerdotis Artium Grammaticarum Feliciter*; ad II. vero: *M. Claudii Sacerdotis Artium Grammaticarum Liber Secundus Explicit Feliciter. Scriptori Vita Legenti Felicitas*; neque haec sine ornatu. En igitur Grammaticum novum, Philologis ignotum, cuius nemo, quod sciam, meminit, si *M. Aur. Cassiodorum* demas scriptorem Sec. VI. qui in sua *de Arte grammat. Institutione* Edit. *Garet. Rotomag.* 1679. T. II. p. 560. f. aut *Putschii* cit. col. 2323. ait: collecta esse Schemata seu Figuras numero 98. a quodam *Artigrapho* nomine *Sacerdote*, seque *Arti* suae adjunxisse *Librum* quartum *de Schematibus Sacerdotis*, quem etiam habes Edit. cit. p. 620. Unde aetas *Nostri* aliquatenus constituitur, qui, an ad *Genitis Liciniae* Familiam *Sacerdotum* pertinuerit, an *Claudiorum* liberatus fuerit, ignoro. Certe *Sacerdotes* in *Historia Rom.* apud *Ciceronem*, in *Serie Consulium*, in *Lapidibus* non desunt. Ejus porro *Operis* difficillimi lectu, cum prima insuper pagina multum adtrita sit, specimen ex altera esto: *De Verbo.*

bo. Verbum est pars orationis cum tempore et persona sine casu, qua quid agitur vel actum agendumve sit, indicatur. Verbo accidunt V. IIII. Forma qualitas genus, quod dicitur adfectus vel species vel significatus, figura numerus modus tempus persona conjugatio. &c. Liber hic prior post expositas illas notas octo Orationis Partes Schemata illa, de quibus supra Cassiodorus, percenset. Alter profodicus Syllabarum quantitates et Metrorum species docet. At vero hunc penitus inspectum nihil aliud esse deprehendi, quam Val. Probi Librum II. paullo ante relatum, neque tamen integrum; orditur enim a verbis illis: *A littera terminatus nominatiuus singularis siue pura siue aliqua consonanti praeiuncta* &c. quae habentur Putschii col. 1445. et in medio quibusdam foliis est muletatus. En igitur idem Opus eodem compactum Codice eodem aevo, non tamen ab eadem manu diversis tributum autoribus, quos inter difficile statuas, nisi Probus Sacerdoti praescriptionem obponat.

XXVII. fol. 139. p. 2. *De Finalibus*, ut e calce praeoccupo, *Servii Honorati grammatici*. Initium: *Quamquam Rationem litterae et syllabae in Donati artibus habemus* &c. Ut apud Putsch. cit. col. 1809. Monitum ad Aquilinum, quod ibi praecedat, hic Libello subnexum est.

XXVIII. fol. 142. Tractatus grammaticus, qui incipit: *De oratione. Oratio est ore missa et per di-*

*stiones ordinata pronuntiatio velut oris ratio. Orationis partes sunt octo.* &c. Agitur deinceps de *Nomine*, de *Conparationibus*, de *Declinationibus*, iterum de *Gradibus Conparationum*, de *Pronomine* et de *Verbo*, hoc exitu: *eo. is. quae sunt primi et quarti ordinis. Lecta sunt haec e Fl. Sosp. Charissi Institutionibus*, ut edidit Putschius col. 1.

XXIX. fol. 156. vetustissima manu, columnis 2. angustis Observata quaedam grammatica et profodica de Syllabis voces terminantibus. Legas etiam: *Cerberus dictus quasi Κερεβορος*. Vicio autem Compactoris intercepta sunt inter binas membranas aliae binae, quae inscribuntur: *Incipiunt pauca excerpta de libro macrobii theodosii. Theodosius symmacho suo salutem dicit*. Singulare istud, neque, quod sciam, a *Macrobii* Editoribus observatum. An vero is *Q. Aurel. Symmachus* pater, an *Q. Flav. Memm. Symmachus* filius, incertum. Chronologia certe neutri repugnat. Sequitur illico: *De uerborum graeci et latini (sermonis) differentiis uel societatibus. Prima utriusque uerbi societas est in hoc* &c. Extat Opus ipsum cum in *Opp. Macrobbii*, *Lugd. Bat.* 1628. p. 556. 8. tum apud *Putsch.* col. 2727. Nostri vero Excerptis continuo adhaerent alia e *L. I. in Somnium Scip.* de *Somniis*, ut edit. cit. p. 8. et alia de *Hippocrate* p. 29. Atque in his desinit optimaefrugis Codex, cujus variam lectionem, qui minutius persequi voluerit,

uerit, vividos oculos et non vulgarem veteris scripturae usum adferat, necesse est.

## CCCXI.

R. 2006 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 163. f. luculente et pulcre scriptus, rubricis distinctus, quondam fratrum Carthusiensium prope pragam, et dein Jo. Cantoris Wratislauien. Cancellarij Archiep. Decani sancti Apollinaris Pragen. duo continet Opera. I. Incipit *Feronimianum compositum per iohannem andree de bononia summum decretorum doctorem ad honorem beati ieronimi egregii doctoris ecclesie*. Praefatur, nescio quis, hoc modo: *Feronimianum hoc opus per iohannem andree urgente deuotione compositum in partes rite diuiditur — Ipsius vero partes sunt Quatuor — Primo autem ponit auctor sui admiracionem querulosam (non satis videlicet Hieronymum coli in Italia) Secundo ponit beati ieronimi legendam et miracula — Tercio per sanctorum et doctorum auctoritates Feronimum gloriosum extollit — Quarto — ipsius scripta et canones transumptos ex illis nominatim (excerpendo nempe) exprimit &c.* En igitur Operis methodum, quod congestit supra dictus Sec. XIV. clarissimus Jur. Can. Doctor, idemque D. Hieronymo addictissimus. Editionem ejus, teste *Mazzuchel-lio Vol. I. P. 2. p. 700.* factam a. 1482. f. l. f. rarissimam esse oportet, quod nunquam vidi. Codi-

ces plures mss. eodem loco referuntur. Initium est: *Feronimum iugiter allegamus. sed modice ueneramur. ammiror in hoc ytaliam defecisse. In qua sub omnium condolorum nominibus ecclesie pullulant. Et ultra V. lustra perquirens scire non potui. Feronimum ibi extra originis sue locum habuisse vel unicam, citus (praeter) troyam, de qua in huius partis talo dicitur. Nouissime tamen percepi, fore duas in tuscia et ducatu, de quibus in eiusdem partis calce submittam &c.* Cum prolixo loco *Alani de Planctu Naturae* Opus concluditur.

II. fol. 105. Alterum Opus hunc titulum praefert: *Incipit cronica fratris martini de ordine predicatorum penitentiarij domini pape et capelani de quatuor regnis majoribus et de summis pontificibus et romanorum Imperatoribus ex diuersis gestis ipsorum edita et composita.* Extat celebre hoc Chronicon *Martini Strepi* loco natali *Oppaviensis Silesii, diœi Poloni*, quod tunc *Conuentus Ord. Praed. Bobemici ad Poloniae Provinciam* pertinerent, multis in Bibliothecis mss. et saepius typis editum, sed communi Chronicorum fato passim interpolatum, breuiatum, productum. Videndi de eo omnium instar *Quetisi* et *Echaridi Scriptores O. P. T. I. p. 361.* ad quos *διαγωγῶν* meam exigam. Initium est: *Quoniam scire opera (tempora) summorum pontificum romanorum &c.* Codex est ex deductis ad *Johannem XXI.* ut hic dicitur, et pro